

Notandum hic dici Priorem majorem, qui Monasterio tamquam Caput & primarius Prælatus præest; quem hodie Priorem Conventualem dicimus. Priorem vero Claustrarii dicitur, qui Prior illi Majori subest, & sub illo curam Claustrarii agit; quem hodie Superiorem dicere solemus. Nec enim juxta hodiernam disciplinam & modum loquendi Prior claustralis sive Claustrarii dicitur consuevit, nisi in Monasteriis quibus præest Abbas Regularis; in Monasteriis vero quibus præest Prior Conventualis ille qui sub tali Priore Monasterio præest, Superior appellari solet.

V. Prioribus Claustralibus non assimilantur Priores obedientiarum, sive etiam Forenses, ita dicti, quod in Obedientiis sive Cellis à principalibus Monasteriis dependentibus (quas etiam Prioratus recentior ætas vocavit) curam habent Monachorum extra Monasterium sive foris, sub ipso tamen Abbate principalis Monasterii.

VI. Obedientia dictæ fuerunt Cellæ, Præposituræ, & grangia (ait D. Du. Cange in Glossario media & infirmæ latinitatis Verbo, obedientia) à Monasteriis dependentes, quod Monachi ab Abbate illuc mitterentur ut ejusdem obedientiæ, ut earum curam agerent, aut eas deservirent.

Cellæ verò dicebantur Monasteriola, seu ut eas olim vocabant, Abbatia quæ majoribus Abbatibus suberant.

VII. Cum enim Monachi variis in locis prædia possiderent; eo interdum aliquot e suis mittebant, qui fruges colligerent, vel redditus reciperent & ad Monasterium suo tempore deferrent; unde nonnumquam Grangia dictæ. Subinde verò ad eas destinati Monachi ut vitam solitariam agerent; vel denique Cellæ subinde edificatæ propter nimium Monachorum numerum, ut ex Monasteriis eo mitterentur Monachi, aliisque eisdem pulsantibus locum darent, ut notat Du Cange in citato Glossario Verbo, Cellæ.

VIII. Ab istis cellis obedientiarum originem duxere Prioratus rurales seu forenses. Cum enim interdum plures ad eandem obedientiam sive Cellam mitti necesse esset; Monachi obedientiarum subinde capellas & Ecclesiolas ibi construxerunt, quo in iis sacræ peragerent officium, & monastica munia obirent, quibus præerat, qui Prior dicebatur. Liber Ordinis S. Victoris Parisiensis cap. 51. Fratres qui ad obedientias commorantur singulis locis tres, si fieri potest, aut duo ad minus esse debent. In victu & vestitu & tonsura à communi institutione non recedant; ad mensam silentium teneant; in Ecclesia non loquantur; Completorium & in aestate & in hyeme tempestivè dicant. pervicos non discurrant &c. In quocumque loco ubi duo, vel plures simul habitant, unus eorum, cui Abbas hoc injunxerit, inter eos Prioris officium agat, & ceteri obediant ei.

IX. Et in Concilio apud Montepesulanum à Petro Beneventano Legato Sedis Apostolicæ, à quinque Archiepiscopis & 28. Episcopis anno 1214. celebrato statutum Can. 30. ut si talis fuerit Prioratus in quatuor Fratres valeant commorari, tres ad minus Fratres ibidem ponantur, & unus ex iis Prior fiat, qui curam omnium habeat.

X. De his obedientiis seu Prioratibus loquitur Concilium Lateranense in Cap. 2. De Statu Monach. Prioratus quoque seu obedientia pretii donatione nulli tradatur. Et in Cap. 3. De Capellis Monach. litteræ quibus concessum dicebatur à Sede Apostolica Monachis quibusdam, ut in singulis ipsorum Prioratibus singulis Monachi commorentur, si pluribus non suppetunt facultates eorumdem, judicantur ab Apostolica Sede non emanasse: quia obviat Concilio Lateranensi, veteranti Monachos singulos extra Monasterium in Ecclesiis commorari, nullâ factâ ipsius Concilii Lateranensis mentione.

XI. Archiepiscopo Burdigalensi rescripsit Honorius III. Cum ad audientiam nostrâ pervenit, quod nonnulli Monachi lege tibi dicebatur subiecti, in quibusdam Prioratibus habitant solitarii, contra statutum generalis Concilii. Ideoque mandamus, quatenus ipsorum Abbates seu Priores, ut vel ipsos ad claustrum revocent, facientes in ipsis Ecclesiis deserviti per Clericos seculares; vel alios Monachos eisdem associant, cum quibus vitam possint ducere regularem, monitione præmissa, per Censuram Ecclesiasticam compellas. Refertur in Cap. 4. De Capellis Monach.

te regularem, monitione præmissa, per Censuram Ecclesiasticam compellas. Refertur in Cap. 4. De Capellis Monach.

XII. Priores ergo in hisce Cellis seu obedientiis constituti, dicti fuerunt obedientiarum seu forenses, erantque Claustrarii in hoc similes, quod similiter ut hi, ab Abbate constituerentur, & ad nutum Abbatis essent amovibiles, sive revocari possent; imo nec ad vitam constitui poterant juxta Decretum Innocentii III. in Cap. 6. De Statu Monach. ubi dicitur: nec alicui committatur aliqua obedientia perpetua possidenda tamquam in sua sibi vita locetur, sed cum oportuerit amoveri, sine contradictione revocetur.

XIII. Circa idem tempus Synodus Oxoniensis ait: Monachus Ecclesiam vel Monasterium vel quolibet prædicti Ecclesiæ suæ non audiat retinere ad firmam.

Firma (ait D. Du Cange in citato Glossario Verbo, firma) est prædium seu villa alteri elocata ad certum tempus, sub præstatione annua vel annonaria, vel rerum ad victum, necessariatum, vel denique pecuniaria, Hinc dicitur ad firmam pro contractu, quo sub annuo redditu fundi ad aliquos annos possidendi dantur.

XIV. Vacua Cellas seu Præposituras Abbates elocabant suis Monachis atque ita Simoniam committebant (ait Christianus Lupus) fovebantque proprietatem ac inobedientiam. Conductor enim Monachus gerebat se, non ut manuum, sed ut firmam ac immobilè, & tam quoad administrationem quam ejus resignationem dependere non lebat à voluntate Abbatis. Hæc Lupus in Scolis ad Cap. 6. Concilii Tolosani tomo 4. pag. 77.

XV. Deinde addit: Et Monachi & Regulares Clerici quod Cellas aut Præposituras à suis Abbatibus aut Episcopis deinceps conducere, & ad vitam sine firmâ retinere non possent, firmitatem illam ab Apostolica Sede flagrabant, & quandoque impetrabant: Et quidem suæ professionis qualitate suppressâ. Omnes hujusmodi gratias esse subreptitias, communis vite professionis ac paupertatis voto substantiâ adversas, idneque nullas, declarat Pontifex & ab omnibus exsufflandas, in Cap. 5. & 6. De Confirmatione nulli vel inuiti.

XVI. His consonat Synodus Tridentina Sess. 25. c. 2. De Regularibus in verbis: Nec deinceps liceat Superioribus bona sibi alicui Regulari concedere, etiam ad usum fructuum, vel vel usum, administrationem aut commendam. Admittitatio autem bonorum Monasteriorum, seu Conventuum ad solos officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibilis pertineat.

XVII. Ex his unanimi consensu concludunt Canonice Priores Minores, quales sunt Claustrales & Obedientiarum, alioque Monasteriorum Officiales ad nutum & beneplacitum Abbatum esse amovibiles & revocabiles, quemadmodum videtur est apud Fagnanum ad Cap. CUM AD MONASTERIUM De Statu Monach. n. 23. & sequentibus; ampliatque n. 37. conclusionem, ut iocum habeat non obstante quod Priores manuales non consueverint revocari quia cum sit in facultate Abbatis, si non sit usus tali facultate, consuetudo non inducitur, cum in actibus mere facultatis non inducatur consuetudo.

XVIII. Priores autem Conventuales, qui ut supra dictum est, sunt Monasteriorum primarii Præfecti & Capita, quique à Capitulo sive Congregatione eligi, & per superiorè confirmari solent, nequaquam sunt ad nutum amovibiles. Et quamvis in pluribus Religionibus præfati Mendicantium sint triennales, tamen [ait Fagnanus ad Cap. PER TUAS De Simonia n. 6.] durante triennio removeri non possunt, nisi ex justa causa, & juris ordine servato. Textus est clarus Cap. MONACHI De Statu Monach. cujus hæc sunt verba. Priores autem cum in Ecclesiis CONVENTUALIBUS per electionem Capitulum suorum fuerint canonice instituti, nisi pro manifesta & rationabili causa non murentur.

XIX. Notat tamen ibidem Fagnanus ex Cap. QUALITER De Accusationibus, in mutatione Priorum & Prælatorum Regularium, causam non requiri adeo gravem, sicuti exigitur ad privandû Clericos seculares suis dignitatibus & Bene-

Beneficiis, sed quod ex levioribus causis ab administratione removeri possint.

XX. Et quamvis in Monasteriis habentibus Abbatem Commendatium ex usu Regni Galliarum Prior intendens Regulari disciplinæ dicatur Claustralis, quia tamen quoad disciplinam est Caput Monasterii, neque in his quæ disciplinam Regularem concernunt ab Abbate Commendatario dependeat, etiam ab Abbate amoveri non potest; & ita non semel judicatum fuisse pro Priore Claustrali contra Abbatem Commendatarium refert Joannes Torner in sua Collectione Arrestorum lit. A. cap. 9.

XXI. Quod de Prioribus Conventualibus docuere communiter Canonice idem obtinet in Provincialibus, qui à Capitulo provinciali; & Generalibus, qui à Capitulo generali eliguntur; ut nimirum durante termino sui regimini sine causa & ordine iudicii amoveri nequeant.

XXII. Cum priores Conventuales sint non secus ac ipsi Abbates Conventuum suorum quasi Prælati & Capita: quin & vi suæ electionis seu institutionis perpetui, nisi ex speciali statuto aut præscripto Regularum utaxat eligantur, etiam & ipsi in dignitate constitui intelliguntur; secus verò Priores Claustrales & Obedientiarum.

XXIII. Quapropter cum ex Constitutione Bonifacii VIII. in Cap. STATUTUM De Rescriptis in VI. nullis nisi dignitate prædictis, aut Personatum obtinentibus, seu Ecclesiasticum Cathedrâ Canonice causæ auctoritate litteratum Sedis Apostolicæ, vel legatorum ejusdem committi possent, dictum est in Clementina 2. De Rescriptis; causas à Sede Apostolica delegari posse Priori Conventuali, non autem Claustrali; idque non alia de causa, nisi quod Conventuales in dignitate constitui intelligantur, secus Claustrales, ut ad dictam Clementinam notant Canonice.

CAPUT III.

De auctoritate Prælatorum regendi & corrigendi Subditos.

- 1. Abbates & Priores Conventuales sunt Monasteriorum Pastores.
2. Curam animarum habent.
3. In eligendis Prioribus Conventualibus maturè procedendum.
4. Abbates & Priores debent Subditos verbis & exemplo instruere.
5. Debent esse doctrina instructi, ut omnibus prodesse possint.
6. Præcepto Divino illis mandatum est, Oves suas agnoscere & eas pascere.
7. Debent habere exactam amicorum notitiam; & quare.
8. Quomodo se diversimodè ad omnes pro varietate dispositionum servare debeant.
9. Debent continuo suis invigilare, ut notitiam habere queant.
10. Quid de hac Prælatorum vigilantia senserint Canonice Præmonstratenses.
11. Penes Abbates est corrigendi ac puniendi auctoritas.
12. Multa mala imenda, si hac auctoritate Superiores abutantur.
13. Prudentia hic præcipue in Superiore exigitur.
14. Primo expendere debet qualitatem personarum; & qui durius increpandi.
15. Qui obsecrândi, & qui arguendi.
16. Corripit si verbis, si verbis; & quibus hac illave impendenda.
17. Superiores in correctione considerare debent causam.
18. Tempus quoque attendendum est.
19. Superior mandatum in puniendo servare debet.
20. Superiori cavendum, ne nimis culpas Subditorum dissimulet.
21. Varia sunt pœna Monastica.
22. Etiam pœna corporales inter Monachos usitata.
23. Etiam carceris pœna olim nota, sed hodie usitatio.
24. Excommunicatio usitata apud Monachos.
25. Quis ex Regula Benedictina excommunicationi subiecti.
26. Effectus excommunicationis Monastica.
27. Cui obsequens aut conversans cum excommunicato, incidit in excommunicationem.
28. Quam curam circa excommunicatos habere debeat Abbas.
29. Quomodo excommunicatis reconciliatio fiat.
30. Etiam pro levioribus delictis excommunicatio infligitur.
31. Excommunicatio non accipitur hic pro censura Ecclesiastica.
32. Quid cum Monacho incorrigibili agendum remittitur; & quare hodie frequentior incarcerationis usus.

Van Espen Jus Eccles. P. I.

I. Abbatibus Regularibus, uti & Prioribus Conventualibus incumbere curam animarum, sive eos esse non tantum Patres, sed & quasi Pastores Religiosorum quibus præfunt, non tantum veteri disciplinæ, sed etiam modernæ conformes est. Hinc etiam Abbatia & Prioratus à Canonistis, beneficiis & dignitatibus curam animarum annexam habentibus annuerantur, in Cap. CUM IN CUNCTIS De Electione.

II. Semper cogitet (Abbas) ait S. Benedictus, quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus est... Sciatque, quia qui suscipit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et quantum sub cura sua Fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die iudicii ipsarum omnium animarum est redditurus Domino rationem. Cap. 2. Regula.

III. Ad Institutionem Priorum Conventualium maturâ deliberatione procedendum esse monent Constitutiones PP. Eremitarum S. Augustini hæc addit ratione: Nam licet omnia maturè debeant Pater Præsidentis & alii Diffinitori Patres determinare, specialem nihilominus ac præcipuam diligentiam debent adhibere in institutione Priorum quibus ex officio incumbit cura animarum, quæ est ars artem & scientia scientiarum, scientes nihil esse quod Religioni magis officiat, quam quod ad curam animarum assumamur indigni: necesse est enim, ut tales sint familia, quales eorum existunt Priores. Parte 3. cap. 7.

IV. Imprimis ergo Abbates & Priores tamquam Pastores & animarum sibi creditarum Directores, debent verbo & exemplo suos instruere, & ad ipsam observantiam Regule & professionis Monasticæ incitare & urgere.

V. Unde S. Benedictus postquam dixisset, Abbatem magnam onus, scilicet curam Animarum in se suscipere, mox tamquam consequens infert: Oportet ergo eum esse doctum lege divina: & sit, unde proferat nova & vetera. Cap. 64. Reg.

Et cap. 2. suæ Regule idem ex eodem fundamento latius adstruit dicens: Ergo cum aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrinâ suis præesse discipulis; id est omnia bona & sancta factis amplius quam verbis ostendat; ut capibus discipulis mandata Domini verbis proponat; duris verò corde & simplicioribus, factis suis divina præcepta demonstrat. Omnia verò, quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda: ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniatur.

Sanctus Hieronymus cap. 2. Regule ita de Abbate loquitur: Ille semitandum in cunctis operum exemplis exhibebit... Singulos autem hortamentis multis excitabit, alloquens cunctos, exhortans, vel edificans in eis, si quid eorum vitæ pro uniuscujusque gradu prodelle perspexerit.

VI. Quid plura? Synodus Tridentina Sess. 23. cap. 1. De Reform. supponit & declarat, præcepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, verbi divini prædicatione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere.

Ad hoc Decretum reflectentes Canonice Præmonstratenses anno hujus sæculi 30. edixerunt, ut omnes Prælati (prout sibi à Domino mandatum atque commissum est) subditis suis, tum verbis, tum factis (si enim absint opera, parum efficiunt verba) vera dogmata, & vitæ perfectæ normam tradant. Dist. 2. cap. 2. §. 7. Et rursus eadem dist. cap. 3. §. Prælatos monent, ut ante omnia anxie caveant, ne vel scandalosa, vel aliqua statum suum minus decentia perirent, considerantes quod tot mortibus digni sint, quot ad subditos perditionis exempla transmittunt; sed econtra, sic virtutibus studeant, ut eorum vitam quicumque intuentur, omnium virtutum exemplar ante oculos proposita tum habeant.

VII. Ut Abbates alique Monasteriorum Superiores boni Pastoris partes rite expleant, necesse est, ut subditorum suorum exactam notitiam habere latagant. Nec enim oves rectè pasci poterunt, nisi Pastor exactam earum notitiam habeat; alia enim & alia pascua & alimenta spiritalia conveniunt aliter & aliter dispositis.

Non una eademque cunctis exhortatio congrua [ait S. Gregorius in prologo 3. partis De cura Paſt. quia non cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe namque aliis officium, quæ aliis profunt: quia & plerumque herbæ, quæ hæc alia animalia nutriunt alia occidunt: & lenis sibilus equos mitigtat, catulos inſtigat Et mendicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit & panis qui vitam fortium roborat parvolorum necat. Pro qualitate igitur audentium formari debet ſermo Doctorem, ut & ad ſua ſingulis congruat, & tamen à communis ædificationis arte, numquam recedat.

VIII. Quæ ad Paſtores generaliter dixit S. Gregorius, jam dixerat ad Abbates S. Benedictus cap. 2.

Sciatis Abbas quam difficile n & arduam rem ſuſcepit, regere animas, & multorum ſervire moribus. . . Et alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium ſuſtentionibus: & ſecundum uniuſcujuſque qualitatem vel intelligentiam, ita cõmuniſ conformet & aptet, ut non ſolum detrimenta gregis ſibi commiſſi non patiatur, verum in augmentatione boni gregis gaudeat. Et paulò ſupra Tantundem erit liber [Abbas] ut ſi inquieto vel inobedienti gregi Paſtoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus univerſa fuerit cura exhibitã.

IX. Porro hæc omnia nullatenus præſtare Superior poterit niſi aſſidue, tamquam vigilans Paſtor, omnibus ſuis attendat ut per continuam vigilantiam non exteriora tantum, ſed vel præcipue interiora, id eſt affectus ac animi motus ovium ſuarum exquirat, ſicque oves ſuas agnoſcat: quod præcepto quidem Eivino, declarante Concilio Trid. mandatum eſt omnibus, quibus cura animarum commiſſa eſt.

X. Quid de memorata indefeſſa ſollicitudine, ac continua ſuper gregem vigilantia Prælati incumbente ſenſerint anno 30. hujus ſæculi Canonicæ Præmonſtratenſes, ex ſtatutis illo anno conceptis & evulgatis cognoscere licet. Qui Abbatialem functionem ſuſcipiant, inquirunt, quæ ſuarum ſunt partium, agnoſcere ſtudeant, & intelligant ſe non ad propria commoda, ad divitias & luxum, ſed ad labores & ſollicitudines pro Dei gloria vocatos; & ſe obſtrictos eſſe, ut attendant ſibi, & gregi ſibi commiſſo; ac proinde obligatos, juxta Apoſtolum, ut vigilant, in omnibus laborent, ac miniſterium ſuum impleant.

Omnes Prælati, prout omni jure obligantur, ſtrictè reſpondeant, ut ſuo gregi, cujus ſanguis à Supremo Paſtore de ipſorum manibus aliquando requiretur, vigilantè intendere queant.

Rariſſimè autem abſint, niſi aliud officii eorum ratio poſtulat; quo in caſu domui ſuæ bene proſpiciant, ac aſſidue curent ne ſubditi per eorum abſentiam, aliquod detrimentum patiantur: ſcientes quod non ſit admittenda Paſtoris excuſatio, ſi oves lupus comedit, & ipſe earum cuſtodiam minimè incumbens neſcit.

Habeant cum Priore, aliſque Superioribus, de ſuorum moribus, proſectu atque defectu, frequentes inquisitiones & collationes.

Sæpe Filios ſuos viſitent, vel ad ſe vocent, eoſque tantumquam veri Patres, in ſpiritu lenitatis inſtruant, moneant, conſolentur, ac dum opus eſt, corripiant, obſurgant atque caſtigent.

Vultum pecoris ſui agnoſcere ſtudeant, & omnia interiora penetrare nitantur, quò facilius & interiorum vitia extirpare & virtutes inſerere queant.

Hiſce non contenti ulterius adjiciunt: pro ſua ac ſubditorum ſalute, neceſſitatibus, atque proſectu [prout ſunt obligati] ardentes ac numquam intermiſſas fundant preces.

XI. Penes Abbates & priores Conventuales, qui ſunt Monasteriorum Capita & Paſtores, eſſe auctoritatem Subditorum exceſſus corrigendi & puniendi indubitatam eſt; atque omnes Regule Monachiæ illam auctoritatem Abbatibus jã pridem attribuerunt.

XII. Non miniſ ma fanè officii Abbatis aliſve cuiuſcumque Superioris pars eſt, hæc auctoritate ritè deſungi. Ut enim correptione Subditorum cum fructu fiat, magnã opus eſt

prudentiã & dexteritate; imò & diſcretione & charitate erga ſubditos.

Si enim hæc in Superiore deſint, fortitudo quæ Superiori ineſſe debet, degenerabit in aſperitatem, ſuavitas in remiſſionem, zelus in furorem; compaſſio vertetur in noxiã conſcientiam; patientia ſine diſcretione audaciam & conſuetudinem gignet peccandi.

XIII. Monet Abbatem S. Benedictus cap. 64. Regula. Oderit vitia, diligat fratres. In ipſa autem correptione prudenter agat.

Prudentia hæc requirit, ut Abbas in correptione hæc quantum ſerio expendat & diligenter diſtinguat.

XIV. Primò perſonatum, quibus correptione impendenda qualitatem & conditionem conſideret. Quam conſiderationem clariffimè explicat S. Benedictus.

Apoſtolicam enim illam ſententiam 2. ad Timoth. 4. Argue obſecra, increpa tribus hominum generibus, ab Abbate vult applicari, cap. 2. ſux Regula.

Indiſciplinatos & inquietos, ait debet Abbas DURTIUS arguere.

Indiſciplinati proprie dicuntur, qui diſciplinam recipere nolunt, ſive qui nullatenus corrigi volunt.

Inquieti verò dici poſſunt, qui nullo loco quodam modo conſiſtentes, continuo per Monasterium vagantur & curſitant de uno loco ad alium. Hi quia ſuo exemplo & modo agendi alios provocant ad relaxationem, & ordinem perturbant, duntaxat argui debent: ut latius exponit Hæſtenus lib. 8. tract. 8. diſq. 5.

XV. Ad alterum genus perſonatum pergens Benedictus ait, Obedientes autem & mitis, & patientes, ut in melius proſiciant, obſecrare debet Abbas.

Hi ſunt, qui cum deliquerint, mox aut intus moti à ſpiritu auctoris correpti ab homine, ad pœnitentiæ remedium conſugiunt.

De tertio hominum genere ſic loquitur Benedictus: Negligentes & contumaces, ut increpet & corripiat.

XVI. Cum verò correptione vitioſorum verbi fieri poſſit & verberibus, quibus hæc illave impendenda ſit ſubjicit: Negligentes quidè atque intelligibiles animos primã vel ſecundã admonitione verbi corripiam: improbos autem & duros ac ſuperbos, inobedientes verberum & corporis caſtigatione ipſo initio peccati coerceat.

XVII. Secundò prudentia Superioris attendere debet cauſam, ſive gravitatem culpæ: Nam ut ait S. Benedictus c. 23. Secundum modum culpæ excommunicationis, vel diſciplina debet extendi menſura.

Speciandum igitur quale peccatum ſit quòd reprehenditur; an Comunitati valde noxium, an relaxationi viam ſternat; an malo exemplo & contagio alios inſiciat; an ex conſuetudine ſapius perpetratum, an verò rariſ & ex infirmitate.

Culparum diſtinctio in leviores & graviores in Regulis Monachiſ notiffima eſt; & quæ leviores, quæ graviores reputandæ ſunt paſſim indicatur.

XVIII. Tertio conſideret prudens Superior, quando corripendum. Hoc intendit Benedictus cum Abbatem monuit miſcere temporibus tempora. Quod explanans S. Bernardus ſermone 2. De Reſurrect. ait: Habeat mens noſtra ſpiritu diſcretionis, ut miſcens aptè temporibus tempora opportunitè æmulari, & nihilominus ignoſcere ſciat. Samaritanus ſic cuſtodians & obſervans quando vinu miſericordiaz, quando vinum fervoris exhibeat.

XIX. Denique prudens Superior in corripiendo & puniendo modum ſervare debet juxta illud Benedicti cap. 64

In ipſa correptione prudenter agat [Abbas] & nequid nimis: Ne dum nimis cupit eradere æruginem, frangatur vaſi ſuamque fragilitatem ſemper luſpectus ſit: memineritque calamum quaſiã non conterendum. In quibus non dicimus, ut permittat nuttiri vitia: ſed prudenter & cum charitate ea amputet ut viderit cuique expedire, ſicut jam diximus. & ſtudeat plus amari, quam timeri. Non ſit turbulenter & anxius: non ſit nimis & obſtinatus: non ſit zelotypus, & nimis ſuſpicioſus, quia numquã requieſcet.

XX. Sed dum timet Superior in correptione excedere, cavendum ne in alterum extremum labatur; nimiaque remiſſione ſive indulgentia delinquat. Quare monet Abbatem S. Benedictus cap. 2. Neque ſimulet peccata delinquentium, ſed mox ut cõperint ortiri, radicibus ea, ut prævalet, amputet; memor periculi Heli Sacerdotis de Silo.

Hæc omnia evincunt, quam verè dixit Benedictus: Sciat [Abbas] quam difficile & arduam rem ſuſcepit, regere animas & multorum ſervire moribus.

XXI. Quemadmodum in Regulis Monachiſ defectuum leviorum & graviorum varia diſtinctio occurrit, ita quoque magna pœnarum varietas paſſi legitur.

XXII. Et quidem præter pœnas leviores quæ ad humiliationem ſive confuſionem Monachorum poſſimum ſpectabant, vel ad aliquam mortificationem & pœnitentiam pertinebant, ut dierum aliquot jejunium; aut abſtinentia à certo potu vel cibo, etiam corporales pœnæ uſitate erant. Nihil enim uſitatus in Regulis Monachi� quam virgarum inſiſticio.

In Regula Pachonii art. 87. de eo qui fratres ad peccandum ſollicitat, & ſimpliciorum animos pervertit, ſeparabunt, ait, eum extra Monasterium, & VERBER ABUNT eum ante fores triginta novem: id eſt, triginta novem plagis, idque juxta morem Judæorum, qui in flagellatione non excedebant numerum 39. plagarum; uti notat Menardus ad Concord. Regul. cap. 30. 4.

Apud S. Inſorum in Regula cap. 17. Gravior culpa delinquentia excommunicatione purgatur, & FLAGELLIS emendatur.

In Regula Benedictina crebra hujus pœnæ ſit mentio; Et quidem cap. 28. vocat acriorem correptionem, id eſt, VERBERUM uſitã & PLAGAS VIRGARUM: & cap. 25. vocat uſitã CORPORALEM.

XXIII. Subinde etiam carcere includebantur; & quidem vineulis nonnulli, quam conſtricti, uti legitur in regula S. Fructuoli cap. 16. VINCULISQUE arctatus ferreis, CARERALI ſex menſibus anguſtra maceretur.

In recentioribus tamen Ordinum conſtitutionibus frequentior quam in priſtiniſ Monachorum Regulis inarcerationis mentio occurrit cujus ratio infra notabitur.

XXIV. Præter hæc pœnas corporales, frequens & in Regula præſertim Benedictina notiffima erat excommunicationis; de qua multis capitibus ſux Regula diſſeruit Benedictus.

XXV. Si quis frater contumax, aut inobediens, aut ſuperbus, aut invidioſus, aut in aliquo contrarius exiſtens, ſanctæ Regule, & præceptis Seniorum ſuorum contempnor repertus fuerit [ait Benedictus cap. 23.] hic ſecundum Domini noſtri præceptum admoneatur ſemel & ſecundò ſecrete à ſenioribus ſuis. Si non emendaverit, obſurgat publice coram omnibus. Si verò neque ſic corripuerit, ſi intelligit, qualis pœna ſit, excommunicationi ſubjaceat.

XXVI. Deinde cap. 25. ait: Si autem Frater, qui gravioris culpæ noxa tenetur, ſuſpendatur à menſa ſimul & ab Oratorio; nullus ei Fratrum in ullo jungatur conſortio neque in colloquio. Solus ſit ad opus ſibi junctum, perſiſtens in pœnitentiæ luctu, ſciens illam terribilem Apoſtoli ſententiam dicentis: Traditum hujusmodi hominem ſathanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini. Cibi autem refectionem ſolus percipiat, menſurã, vel horã, qua præviderit ei Abbas competere. Nec à quoquam Benedicatur tranſeunte, nec cibus qui ei datur.

Sanctus Fructuoſus loquens de Monacho excommunicato cap. 14. decrevit, Ut in ſolo pane & aqua in velpera poſt cenam Fratrum mediũ accipiat paximatium, & non ad ſtuetatem aquam, & hoc ab Abbate exuſſatum non ſanctificatum. Nimirum hoc eſt, quod Benedictus dixit: Neque benedicatur cibus qui ei datur.

Praximatium, cujus hic ſit mentio, videtur fuiſſe panis bis coctus & luccus; de quo conſule Menardum ad Concord. Regul. cap. 31. §. 17.

XXVII. In tantum Fratrum ſeparationem ab excommunicationis uſit S. Benedictus, ut cap. 26. decretat: Si quis Frater præſumpſerit ſine juffione Abbatis fratri excommunicato quolibet modo ſe jungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, ſimilem ſortiat excommunicationis vindictam.

XXVIII. Porro quia omnis hæc pœna tendit unice in emendationem ac correptionem excommunicati, declarat S. Benedictus cap. 27. quam ſollicitus eſſe debeat Abbas circa excommunicatos, ex quo diſcere poſſunt Superiores, quam curam & affectum erga delinquentes & infirmiores Fratres exhibere debeant. Omni ſollicitudine curam gerat Abbas, inquit, circa delinquentes fratres; quia non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus. Et uti debet omni modo, ut ſapiens medicus: immittere ſympætã, id eſt ſeniores ſapientes fratres, qui quaſi ſecrete conſolentur fratrem fluctuantem, & provocent ad humilitatis ſatisfactionem: & conſolentur eum, ne abundantiori triſtitiã abſorbeat; ſed ſicut ait Apoſtolus: Confirmetur in eo caritas, & oretur pro eo ab omnibus. Magno opere enim debet ſollicitudinem gerere Abbas, & omni ſagacitate & induſtriã curare, ne aliquam de ovibus ſibi creditis perdat. Non verit enim ſe infirmarum curam ſuſcepiffe animarum, non ſuper ſanas tyrannidem: & metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus: Quod crãſſum videbatis, aſſumebatis; & quod debile erat projiciebatis. Et paſtoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem, quæ erraverat, quæret; cujus infirmitati in tantum compaſſus eſt, ut eam in ſacris humeris ſuis dignaretur imponere, & ſic reſportare ad gregem.

XXIX. Quomodo tandem excommunicatus, ſi ſe emendaverit reconciliandus eſſet exponitur cap. 44. Regule Benedictinæ: Qui pro gravioribus culpis ab oratorio & à menſa excommunicatur, hora qua opus Dei in oratorio celebratur, ante fores Oratorii proſtratus jaceat, nihil dicens, niſi tantum poſito in terra capite ſtratus pronus omnium de Oratorio exeuntium pedibus ſe projiciat. Et hoc tam diu faciat, uſque dum Abbas judicaverit ſatisfactum eſſe. Qui dum juſtus ab Abbate venerit, volvat ſe ipſum Abbatis, deinde omnium veſtigis, ut orent pro ipſo. Et tunc ſi juſſerit Abbas, recipiatur in Choro, vel in ordine, quo Abbas decreverit ita ſanè, ut Pſalmum, & electionem, vel vel aliud quid non præſumat in Oratorio imponere; niſi iterum Abbas jubeat. Et omnibus horis, dum completur opus Dei, projiciat ſe in terra in loco, in quo ſtat: & ſic ſatisfaciat, uſque dum ei jubeat iterum Abbas, ut quietſcat jam ab hac ſatisfactione.

Hic notandum, quòd excommunicatus paulatim & per partes communicationi & officiis reſtituatur; in quantum nimirum viderit Abbas illum ſenſim magis humiliatum & pœnitentem.

XXX. Subjicit deinde S. Benedictus: Qui verò pro levioribus culpis excommunicatur tantum à menſa in Oratorio ſatisfaciant uſque ad juffionem Abbatis: & tam diu hoc perſiciant, uſque dum benedicat, & dicat, ſufficit.

XXXI. Porro cum Benedictus etiam pro levioribus culpis excommunicationem infligendam ſupponat, admodum veriſimile eſt, neque apud Benedictum, neque alios priſtinos Monachorum Patres, excommunicationem ſumptam eſſe pro cenſura Eccleſiaſtica, ſive proprie dicta excommunicatione majori; qua Monachus ab ipſo corpore Eccleſiæ abſciſus cenſetur, quam nonniſi pro graviffimis criminibus infligi poſſe in conſeſſo eſt; & infra parte 3. Titulo De Cenſuris latius oſtendetur.

Accedit quòd cap. 24. menſuram excommunicationis velit extendi juxta modum culpæ, quòd excommunicationi proprie dictæ applicari nequit; quæ ſimpliciter excommunicationem à corpore Eccleſiæ reſcindit.

Ad hæc cum Abbates olim eſſent laici, non apparet quare ratione cenſuras Eccleſiaſticas à poteſtate Clavium dependentes infligere poſuiſſent.

Veriſimilius proinde eſt, hujusmodi excommunicationes tantum